



Visivus magnæ fortitudinis heros ex Gothica gente prognatus sub Vitige rege in magna authoritate extitit. Nam in prælijs primum semper locum occupabat, atque sua manu multos hostium conficiebat. Accidit autem quandoque cum Bellisarius & Vitiges circa Romam urbem decertarent, atque prælium oriente sole incepturn ad multam noctem continuaretur, quod Visivus primas in acie partes agens, haud prius strenue pugnare desisteret, quā tredecim uulneribus suo corpore exceptis, ueluti moribundus collaboreretur. Vnde cum reliqui putarent eum interisse, à socijs uictoribus inter occisorum cadauera relicitus fuit.

Verum post tertium diem cum Goths castra circa urbis muros collo cassent, atque quosdam misissent qui suos sepelirent, Visivus adhuc spirans intet mortuos deprehensus fuit. Itaq; quidam ex socijs eum compellauit, atque ex uultu æstuantem eius sitim intellexit. Tum illico aqua refectum in castra magno gaudio retulerunt. Is postea diu superuixit, atq; apud Gothos sibi magnam famam & gloriam comparauit. Ioan. Mag.
libro ii. capite 9.